

Christoph Helwig

**Programma, Quo Rector Academiae Gryphiswaldensis Christophorus Helvigijs,  
Doctor & Professor Medicus Ordinarius, ad Exequias ... Matronae Margarethae  
Lockervitiae, Quae Viduus moestissimus Vir ... Dn. M. Fridericus Dedekindus,  
Log. & Metaph. Prof. Ordin. III. Non. Decemb. sueta solennitate parabit, Cives  
Academicos peramanter invitat & hortatur**

Gryphiswaldiae: Doischerus, 1674

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770290671>

Druck Freier  Zugang




**Dedekind, F.**  
in  
**M. Lockerwitz.**

**Gryph. 1674.**

45

















30.



PROGRAMMA,

quo

RECTOR

ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS

CHRISTOPHORUS HELVIGIUS,

Doctor & Professor Medicus Ordinarius,

*ad Exequias*

Pientissimæ Honestissimæq; MATRONÆ

MARGARETHÆ  
LOCKERVITIÆ,

*Quas*

Viduus mœstissimus

VIR Clarissimus, Amplissimus & Excellentissimus

DN. M. FRIDERICUS DEDEKINDUS,

Log. & Metaph. Prof. Ordin.

III. Non. Decemb.

svetâ solennitate parabit,

CIVES ACADEMICOS

peramanter invitat & hortatur.

---

GRYPHISWALDIÆ

Literis MATTHÆI DOISCHERI, Acad. Typogr. Anno 1674.





PROLOGUS  
 RECTOR  
 CHRISTOPHORUS HELVICUS  
 Doctor & Professor Ordinarius  
 Praesidentis Honorabilis Matronae  
 MARGARETHAE  
 LOCKERVILLE  
 Venerabilis  
 D. M. FRIDERICUS BILBERGUS  
 Log. & Mag. Prof. Ordin.  
 CITEZ A. C. P. M. C. S.  
 GATE SWALDIA  
 Hinc hactenus Doctorum mag. Typo. Anno 1774.



Q. D. B. V.



*L*etitia est, charissimi Cives, quae  
is aetas sua commoda habet, suaeque pa-  
tetur incommoda. In Infantia quidem  
innocentia nobis & ipsa rerum  
omnium ignorantia placet, attamen-  
cum alienam ferre tunc ope vivatur,  
neque suis pedibus moveantur, neque  
manibus suis admodum utantur in-  
fantes, magnam illi aetati miseriam  
inesse apparet. In pueritia quid perpetuo illo motu & continuo  
garritu acceptius? quid hilarius? contra quid illam morositate,  
querimoniâ & iram, quam colligunt pueri, si non statim quod cu-  
piunt obtineant, molestius? quid lacrymis & ploratu, quo mi-  
scent & implent omnia, tristius est? In Juventute & flore hu-  
mana aetatis perquam commodum accedit, quod integris ea viri-  
bus est, agilis, prompta & ad omnia parata & expedita, for-  
mosa, jucunda, lata & magnanima, sed est contrarium quod libi-  
dinis aestro urgetur, monitoribus aspera est & quasi cerea facile  
in vitium flectitur, & paucorum annorum spatio atque decursu  
continetur & finitur, ecquis & ipsam miseriae & infelicitatis  
plenam & omnium vitae partium periculosissimam esse negabit?  
In virili aetate gratum & laudabile est, quod plerumque, Stagi-  
rita teste, inter commoda & incommoda, quae juvenus & sene-  
ctus inter se dividunt, quasi media incedat, neque cum juven-  
tute soli pulchritudini & splendori, quam reputationem vocant,  
neque cum senibus soli utilitati vivat, neque ad luxuriam, ne-  
que ad parsimoniam declinet, sed ad id, quod convenit & de-  
cet, vitae rationem exigat & caveat commississe, quod mox muta-  
re laboret. Accedit, quod à conjugio & bene morata prole  
magna



magna in hanc aetatem redundet iucunditas. E contrario tamen cum continuis laboribus hac aetas atteratur, negotiorum mole defatigetur, rei domesticae cura angatur, & varia fortuna vicissitudine exerceatur, illi quoque miseriam suam non deesse satis superque constat. Quod si tandem in senium vergit atque desinit aetas, pulchrum quidem est & decorum, quod a sapientia & prudentia & longo rerum usu & omnium virtutum maxima pietate commendetur, cum illo Graecorum

ἔργα νέων, βελαὶ δὲ μέσων ὄχαι δὲ πρεσβύτων  
 opera juvenibus, consilia viris, preces autem & vota senibus  
 quasi propria attribuantur, & Homeri encomio

οἷς ὁ γέρον μετέησιν, ἀμα πρὸς ὧ ἐὸ πῖσσω  
 λῶσσι, ὅπως ὄχ' ἀριστεὰ μετ' ἀμφοτέροισι ἔσῃ,

Antè simulque retrò seniores omnia spectant

Quarentesque in utramque docent factu optima partem. Attamen nulla ferè aetas majoribus quam senectus miseriis premeretur atque calamitatibus urgetur, cum prioris aetatis incommoda subsequens saepe emendet eadum, nisi propter Christianam nostram pietatem & fidem felicissimam judicare debeamus, quod in ea demum miserias vite hujus finire, & beatam ex hac arumnarum valle in caelestem beatitudinem commigratione aeternis sese gaudiis naturalibus quasi ordine & lege liceat immiscere. Quam spe quemadmodum senectutis suae decrepita incommoda patienter tulit, tandemque feliciter superavit beata nunc memoria femina MARGARETHA LOCKERVITIA, Viri Clarissimi, Amplissimi & Excellentissimi DN. M. FRIDERICI DEDEKINDI, in alma hac Logic. & Metaph. Prof. Ordin. Uxor heu! quondam dulcissima, ita ipsa sua vita, quam honestè, piè fortunatèque degit, optimè meruit, ut eam verbis ipsius Mariti potius quam meis plenius Vobis exponam, charissimi Cives.

Cœpit



Cœpit lucis hujus usurâ frui Anno 1601. Parentibus nata honestissimis & spectatissimis, Patre THOMA Loefervig / Negotiatore hujus urbis non infimi census, & Matre CATHARINA Wûnsowen. Avus ei paternus fuit THOMAS Loefervig / Mercator quondam Stralsundii facilè primarius. Avia ejusdem lineæ EMERENTIA Jansen / Avus maternus CASPARUS Wûnsow / Avia pariter materna ANNA Tessuthen. Hisce longiori adhuc ferie, si opus esset, deducendis Majoribus cùm piè jam defuncta nostra Matrona procreata esset, ex nativitate carnali sanctiori mox generationi per sacrum lustricum transcripta fuit. Postmodum studio pietatis, & quæ suum sexum decebant, consecrata, maturâ ætate, anno hujus seculi 19. in matrimonium data est Viro integerrimo DN. JACOBO Schmeden / Pharmacopœo hujus Urbis peritissimo, qui cùm annos viginti summâ in tranquillitate & concordia vixit, inq; illo conjugio haud sanè infœcundo novem peperit liberos, nempe septem filios, & tres filias. E quorum numero quatuor annis tenerioribus naturæ debitum solverunt. Reliquorum natu maximus JOACHIMUS, postquam prima literarum rudimenta in Schola patria feliciter didicit, anno ætatis 18. Rostochium studio- rum gratiâ ablegatus, Philosophiæ & Juri indefessâ ibidem industriâ se dedit, & sub Præsido Clariss. DN. M. HARTMANNI Disputationem Logicam de Oppositione cum laude defendit. Rostochio reversus in Patriam B. DN. D. HERMANNI QVERINI Jcti celeberrimi privatâ informatione usus, egregios in Jure fecit progressus; at morbus interveniens spem uberioris frugis decollavit, & præmaturam ei mortem attulit, anno ætatis vigesimo. Filius secundus JACOBUS quamvis inde à teneris, quod dicitur, ungviculis sedulè informatus, & studiorum pertexendorum gratiâ in Belgium missus esset, præter spem tamen contigit, ut in itinere Musis desertis Martem colere præoptarit. Itaque apud Serenissimum Daniæ Regem nomen suum professus Signiferi stationem obtinuit, in qua ita se gessit, ut in expugnatione urbis Friederichsöde strenuè pugnantem atque inter alios caprum, certâ aris summâ Serenissima ejus Majestas redimere, ac ad majora evehere fuerit dignata. Tertius est JOANNES, Ci-  
vis



vis & Mercator hujus urbis solertissimus, unà cum cæteris propin-  
 quis obitum Matris acerbissimè lugens. Ex filiabus natu major,  
 CATHARINA DN. CASPARO MARCHIO, Doctore  
 Medico celeberrimo, & in tribus Academiis, nostrâ hac Gryphi-  
 câ, Rostochiensis & Kiloniensis, Professorio munere summâ cum  
 laude perfuncto; nunc verò Seren. Electoris Brandenb. Archia-  
 tro, in matrimonium collocata DEO benediceate peperit ipsi II.  
 liberos, ex quibus 4. filii adhuc supersunt: Filia verò natu maxi-  
 ma MARGARETHA Clariss. olim & Experientissimo Viro  
 DN. JACOBO Kornmesser/ Medicinæ Doctore, nunc *ex ægyptis*  
 connubio juncta, duos ei peperit filios, quorum alterum jam ami-  
 sit, alterum autem ut in multos annos superstitem ei seruet DEUS,  
 piè precamur. Altera DN. D. MARCHII filia ANNA CA-  
 THARINA pl. Reverendo DN. MATTHIÆ BURCHARDI,  
 Pastori Chiloniensium vigilantissimo, sœdere conjugii associata  
 fuit, cui sobolem quoque peperit. Minor defunctæ Matronæ fi-  
 lia MARGARETHA Viro Nobilissimo & Excellentissimo  
 DN. D. HENRICO MICHAELIS, Jcto celeberrimo & Syndico  
 Imp. & Lib. Reip. Lubecensis gravissimo nupsit, cui octo quoque  
 peperit liberos, ex quibus duo filii & quatuor filiæ DEI gratiâ ad-  
 huc supersunt. Filius natu major HENRICUS studiorum gratiâ  
 hîc commoratur. Filia verò natu maxima MARGARETHA  
 DN. D. FITZMANNO, Reip. Lubecensis Physico, connubio jun-  
 cta est. Et hæc Matronæ nostræ præclarissimæ proles debetur,  
 quæ in tot amplissimas familias jam divisa, ut porrò crescat & ex-  
 tendatur meritò vovendum est *cives*. Cæterum mortuo priorè  
 Marito quinquennium integrum vidua exegit. Cùm tamen in-  
 consultum ei videretur, inprimis ob minorennium filiorum edu-  
 cationem, ut reliquum ætatis in perpetuo luctu transigeret, singu-  
 lari DEI providentiâ iteravit conjugium, & cum DN. M. FRIDE-  
 RICO DEDEKINDO, Logices & Metaph. Prof. in hac Univer-  
 sitate longè dignissimo, cum quo per annos triginta & unum in-  
 culpatè, piè & concorditer vixit, matrimonium contraxit. Quam-  
 vis autem illud eatenus sterile fuerit, quatenus nullos procreavit  
 liberos; tamen si educationis filiorum ex priori conjugio super-  
 stitum ratio habeatur, non omninò sterile fuit, quandoquidem eos

non



non solum Præceptoribus informandos tradidit Dn. Parens, sed etiam è ludo domum reverfos examinavit, & quæ ibi didicerant, sedulo semper ab eis repeti curavit.

Quod corporis constitutionem & valetudinem attinet, licet defuncta ante ingravescens ætatis molestias & incommoda mediocriter bonâ valetudine fuerit usa, posteriori tamen biennio mirè eam habuit labefactatam tam respiratione difficili, quàm tussi, aliisq; senili ætati propriis affectibus, præcipuè verò molestus ei fuit inde à capite ad talos usque proserpens tumor & omnes ferè corporis partes in molem præternaturalem attollens, qui ipse tandem debilem & per ipsam ætatem jam deficientem planè consecit. Equidem variis remedijs ab Experientissimis Medicinæ Doctoribus præscriptis contra mali sævitiam pugnatum, sed ob naturæ ipsius defectum nihil profici animadversum fuit. Defuncta itaque nostra ad unicum illum salutis æternæ procuratorem & animarum Medicum fidelissimum CHRISTUM JESUM toto animo conversa, corpore & sanguine CHRISTI, veluti optimâ panacea & extremi ad coelestem patriam itineris viatico, anxie desideravit resciri. Neque in eo pio ipsius voto quicquam defuit, sed ut antea aliquoties per admodum Reverendum, Amplissimum & Excellentissimum DN. D. MATTHÆUM TABBERTUM Sacra illi administrata fuerant, ita & à Rever. Clarissimo & Doctissimo DN. M. NICOLAIO ALBERTI, Archi-Diacono templi Nicolaitani dignissimo, paulò ante obitum, & ex his terris abitum ultimò idem factum. Quo coelesti quasi pabulo suavissimè pasta & refecta, noluit hic diutius commorari, sed inter circumstantium preces & suspiria ardentissima, in vera Salvatoris sui agnitione, piè & placidè expiravit die 15. Novembr. inter 6. & 7. vespert. anno ætatis suæ LXXIII.

*Agnoscite inde, charissimi Cives, eâ nos omnes legem nasci, ut denascamur, & quamvis seros annos nostra pietati ex clementi promissione Divina nonnunquam indulgeat benignitas, tandem tamen rem nostram universam eò redire, ut ex vita hac tanquam ex theatro quodam æquo animo excedamus. Id ipsum cum jam fecerit beatè defuncta Matrona, quæ & piè  
vixit*



vixit & pie vitam hanc reliquit, par est, ut ipsi de tam felici commutatione & aequanimi excessu gratulemur, reliquiis autem & exuviis, in quibus pulchra jamq; inter beatos in illa caelesti & destinata electis sede degens anima olim habitavit, debitum & apud nos receptum habeamus honorem. Date itaque hoc, charissimi Cives, & virtuti beatè defuncta & meritis vestri Professoris, & fama Clariss. Generorum, totiusq; amplissima familia existimationi, & justa, quae hodiè ipsius memoria persolventur, vestrà praesentiâ atque frequentia reddite solenniora. Vos enim ipsi hanc inde utilitatem capere potestis, ut in vestre fragilitatis cogitationem, quae nunquam praesentius nobis obversari solet, quam ubi funeribus intersumus, indueamini, & quid tandem de vita humana verè vobis sit statuendum, nempe mortem quidem pulchritudinis, divitiarum, honorum, rerumq; adeò omnium extremam esse lineam, attamen in fide Christiana obdormientibus non nisi placidum somnum & exoptatam esse quietem, coràm quasi oculis vestris usurpetis & intueamini. Bene interea valete & memoriâ imminenti lethi omnem peccandi libidinem extinguite aut refrenate.

P. P. Gryphisw. d. 3. Decembr.


Anno 1674.






















Cœpit lucis hujus usurâ frui Anno 1601  
 honestissimis & spectatissimis, Patre THOM  
 gogiatore hujus urbis non infimi census, & Ma  
 Bünswen. Avus ei paternus fuit THO  
 Mercator quondam Stralsundii facile primarius  
 lineæ EMERENTIA Jansen / Avus, ma  
 RUS Bünswen / Avia pariter materna A N  
 Hisce longiori adhuc serie, si opus esset, dedu  
 cùm piè jam defuncta nostra Matrona procreata  
 te carnali sanctiori mox generationi per sacru  
 scripta fuit. Postmodum studio pietatis, &  
 decebant, consecrata, maturâ ætate, anno huj  
 trimonium data est Viro integerrimo DN. JA  
 den / Pharmacopœo hujus Urbis peritissimo,  
 ginti summâ in tranquillitate & concordia vixi  
 gio haud sanè infœcundo novem peperit libero  
 filios, & tres filias. E quorum numero quatuor  
 bus naturæ debitum solverunt. Reliquor  
 JOACHIMUS, postquam prima literar  
 Schola patria feliciter didicit, anno ætatis 18. R  
 rum gratiâ ablegatus, Philosophiæ & Juri inde  
 striâ se dedit, & sub Præsido Clariss. DN. M. H  
 Disputationem Logicam de Oppositione cum  
 Rostochio reversus in Patriam B. DN. D. HER  
 RINI Jcti celeberrimi privatâ informatione  
 Jure fecit progressus; at morbus intervenien  
 frugis decollavit, & præmaturam ei mortem a  
 vigesimo. Filius secundus JACOBUS c  
 neris, quod dicitur, ungviculis sedulò informa  
 pertexendorum gratiâ in Belgium missus esset,  
 contigit, ut in itinere Musis desertis Martem co  
 Itaque apud Serenissimum Daniæ Regem nom  
 Signiferi stationem obtinuit, in qua itâ se gessit  
 ne urbis Friederichsôde strenuè pugnantem at  
 prum, certâ aris summâ Serenissima ejus Majest  
 majora evehere fuerit dignata. Tertius est J

